



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLI. Argumentum. Discusso dubio, an madefactis aqua digitis satis sit tangere caput baptizandi? disputatur famosa Quæstio, an licita sit sectio ventris matris non valentis parturire? Et an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

non à Procuratore in Una Veronen. 29. Martii 1582.
& 15. Martii 1631.

Altera Quæstio est, Qui prohibeantur esse Patrini? Ad hanc quæstionem respondetur; esse prohibitos omnes infra scriptos. *Primò* non baptizatos. *cap. In baptismo, de Consec. dist. 4.* nam Patrinus est obligatus instruere in rebus fidei, quem suscepit. *Secundò*, Minores septennio, quia debent habere usum rationis. Gobat *d. tract. 2. de Baptism. § 55.* Barbosa *de Episc. alleg. 30. n. 39.* ubi tamen advertit, non excludi Patrinum junio-rem filiastrò baptizando. *Tertid*, Genitores ipsius baptizandi, nisi in casu necessitatis, id est, periculi mortis. *cap. Pervenit. & cap. Dilectum est. 30. q. 1.* aliàs ob contractam cognationem spirituales impediuntur petere debitum conjugale. *Quartò* Hæreticos, & periculum perversionis, & discessus à vera fide. Layman. *d. lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 7.* ubi tamen advertit, quòd in Germania promiscuè à Catholicis vocantur Patrini hæretici; & ab hæreticis Patrini Catholici; neque subsistit timor perversionis, quia Patrini neminem ex filiis spiritualibus instruunt in fide. *Quindò* Religiosos claustrales sive Monachos, sive Mendicantes. *4 cap. Placuit commune. 6. q. 1. cap. Non licet, & cap. Monachi. de Consec. dist. 4.* ne familiaritatem contrahant cum secularibus, & præcipuè cum fœminis. *Sextò* excommunicatos, interdictos, & facinorosos. *Rit. Roman. in Rubr. de Patrinis.* Ita enim decet sanctitatem Sacramenti. *Septimò*, ignorantes rudimenta fidei, Orationem Dominicalem, Credo & Decalogum. *Constit. Synod. Patav. part. 1. cap. 8. Vers. Quiverò. & part. 2. c. 12. Vers. A Patrinatus munere.* Ea manifesta ratione, quia non sunt apti instruere quem in fonte suscipiunt. *Ottavò* Mutum; *cap. Parvuli. de Consec. dist. 4.* ob eandem rationem. *Nondò* Maritum, & Uxorem in suscipiendo uno & eodem baptizato. *cap. fin. 30. quæst. 4.* ob reverentiam Sacramenti, quamvis inter hos conjuges non contrahatur spiritualis cognatio, ut diximus supra *Decif. 37. n. 17.* *Decimò* Clericos seculares, præcipuè existentes in Sacris. *Synodus Patavina d. part. 2. cap. 1. Vers. In adibus.*

DECISIO XLI.

ARGUMENTUM.

Discussò dubio, an madefactis aqua digitis sit tangere caput baptizandi? Disputatur famosa Quæstio, an licita sit sectio ventris Matris non valentis parturire? Et an ipsa Mater teneatur pati incisionem, ut foetus possit baptizari?

SUMMARIUM.

- 1 Digitis aqua madefactis an valide baptizetur?
- 2 Peccatum mortale est eo modo baptizare.
- 3 Mater si parere non possit, an teneatur pati incisionem Ventris?
- 4 Mulier gravida an ultimo supplicio plectenda?
- 5 Sectio Ventris matris quando licita? & num. 8.
- 6 Exemplum quinque fratrum caso ventre matris editorum.
- 7 Pueros alia secta in ventre salva earum vita.
- 9 Vita matris quando sit preferenda vite fetus, vel è contra?

Adhuc nascitur alia dubitatio resolvenda circa ministrantem baptismum, quæ talis est: Sacerdos baptizans, digitis aqua madefactis, tangit caput baptizandi, formam proferendo. Quæritur, an sit validus Baptismus? procedendum est ad resolutionem casus cum distinctione ista. Vel digiti erant adeò madefacti, ut ex eis fluere guttæ aquæ; & hoc modo applicando eandem aquæ guttas capiti baptizandi, fecit verum Baptismum; nam qualibet ablutio, quamvis modica, etiam per simplicem asperersionem sufficit: Mastrius *in Theol. Moral. cit. disp. 17. num. 24. prope fin. ibi: Unde deducitur ad Baptismi validitatem sufficere posse guttas aliquot, quæ corpus tangent, cum aliqua sui divisione, & partium successione.* Et Latius Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Baptism. disp. 12. num. 28.* ubi sic: *Qualibet duratio successiva asperersionis, vel immersionis, etiam minima, si detur, sufficit ad materiam proximam Baptismi, quia in qualibet quantumvis parva includitur essentia ablutionis.* Novissimè Gobat *de Baptism. d. tract. 2. num. 46.* ubi in specie nostri casus interrogatus ait: *Respondi, videri mihi baptizatum, nec rebaptizandum, si, ut sæpe fit, digitus fuerit probe immersus in aquam, ac proinde inspersa quinque, vel sex guttæ.* Vel è contra digiti ita parci erant madefacti, ut ex eis non potuissent fluere guttæ aquæ; sed haberentur tantummodo humidi; vel adinstar sudoris? & in hoc casu censendus est Baptismus invalidus; quia dici non potest vera ablutio, quando aqua non fluit è digito, & se diffundit aliquo modo per locum, in quo fluit: & ad plus reputari debet Baptismus dubius, itaut puer sit sub conditione rebaptizandus; ex opinione ejusdem Gobati *d. num. 46.* ita sentientis, & dubitantis, si tantum duæ, vel tres guttæ è digitis cecidissent, cui adstipulatur Tamburin. *de Triplic. Jur. lib. 2. cap. 1. §. 1. nu. 13. & §. 3. num. 22.* Coton. *lib. 2. controv. 2. cap. 1. num. 13.* & Franciscus de Lugo *lib. 2. cap. 2. q. 1. num. 6.* Porro omnes Doctores notant, quòd prædictus Parochus graviter peccaverit, baptizando puerum illo heteroclitico modo; nam debet servare usum Diocesis, & abstinere ab incertitudine, & sequi tutiorem opinionem in Sacramentis. Gobat *d. tract. 2. num. 46.*

Porro inter ceteras famosa, curiosa, & digna scitu est sequens instantia: Gravida mulier in octavo Mense agit animam, desperata à medicis ipsius salute. Quæritur, an pati debeat ventris incisionem, ut foetus vivus extrahatur, & baptizetur? Circa hanc famosam quæstionem communiter Doctores tenent opinionem negativam, & absolute respondent, Matrem non esse obligatam sufferre ventris incisionem, & sic mortem corporalem, quamvis versetur in periculo mortis spiritualis animæ sui foetus; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; & sicut nemo potest innocentem occidere absque mortali peccato. *Cap. Non licet 25. q. 5.* ita absque peccato nemo potest consentire, ut ab alio occidatur; *argum. tex. in cap. Contingit De Jure patron. l. liber homo. ff. ad leg. Aquil. Ita Comitoli in Respons. Moralib. lib. 1. quæst. 14.* Layman. *lib. 5. tract. 2. cap. 3. nu. 2.* Grassius *part. 1. lib. 2. cap. 62.* Victoria *de Baptism. n. 32.* Franciscus de Lugo, qui cumulat alios concordantes, *lib. 2. cap. 2. q. 3. num. 24.* & novissimè Pax Jordan. *tom. 1. lib. 5. tit. 10. n. 23.* Qui extendunt hanc suam negativam sententiam pariter ad

ad istam matrem, quæ esset afficienda ultimo supplicio; quamvis enim lex non permittat executionem sententiae, nisi enixò foetu, & sequuto partu, quem jubet expectandum. *leg. Prægnantem ff. de Penis*: nihilominus si immanitas Judicis, vel aliqua publica causa urgeret, ut ante partum è vivis tolleretur; adhuc ejus venter non esset secandus ad effectum præmissum; neque ipsam matrem (nisi spontè vellet hanc pati carnificinam) obligari posse asseverant præfati Doctores, ea ratione freti, quòd ex sectione ventris certa mors matris sit secutura, & incerta remaneat salus spiritualis ejusdem foetus, credentes, difficillimè eum vivum è visceribus maternis deduci; ut inter cæteros opinabatur Sotus in 4. dist. 5. quæst. 7. art. 11. Coninck in 3. p. q. 66. art. 7. num. 75. & Comitoli. ubi supra. Et quòd sit impossibile absque morte Matris ejus ventrem secare ad extrahendum ex eo foetum, constanter tenent ex Medicis Ambrosius Paræus in sua Chirurgia libr. 23. Vazandæos De Morbis mulier. cap. 7. Alex. Massaria in Pract. Medic. lib. 4. cap. 12. & alii, quos refert doctissimus Zacchias in suis Q. Q. Medico-legal. tom. 2. libr. 9. tit. 2. qu. Unica num. 27. ubi notat ex hac impossibilitate salvandi vitam Matris provenire, quòd de hac ventris sectione nullus Medicorum ante præteritum sæculum verba fecerit, etsi de aliis difficillimis sectionibus habeantur antiqui tractatus, præcipue de extractione calculi ex Vesica, quæ multò magis periculosa est, atque operosa.

Ceterùm P. Theophilus Raynaudus tom. 14. tit. de Ortu infantium per sectionem Casaream cap. 5. num. 2. statuit, & probat, sectionem matris viventis, in desperatione partus naturalis, licitam esse, & honestam, quando affulgeat spes probabilis boni eventus; atque ut plurimum spem ipsam affulgere ostendit, tum judicio, ac testimonio multorum medicorum è Gallia, Hispania, Germania, & Italia in d. tit. cap. 4. num. 5. & 6. tum in cit. cap. 5. num. 4. & 5. tum cellissimis exemplis, inter quæ illo singularissimo Patris Jacobi Robini Ordinis Minorum Bituricensis, qui eidem Patri Raynaudo coram confirmavit, quantum se è fratribus, cæso semper matris utero, editum; operam Matri præstante Brunetho Chirurgo, qui adhibito remedio soporifero, dolores sectionis solerter præclusit.

Quare P. Gobat in secunda editione suæ Experiment. Theologia cit. tract. 2. de Baptism. in Appendice sub num. 259. recessit ab opinione Comitoli, Soti, & aliorum, quibus antea adhæserat; motus doctrina ejusdem P. Raynaudi; in cujus confirmationem refert alia duo exempla, deprompta ex lectione Guilielmi Fabricii Medici Bernensis fol. 1178. Edit. Hanovien. alterum Viennæ Austriæ, alterum Salinis in Comitatu Burgundiæ, edita circa Puerperas, quæ sanissima vixerunt, postquam ex earum uteris, in Umbilico sectis, extractæ fuerunt proles, jam ante sectionem mortuæ; tetrumque odorem halantes. Ulterius in eadem Appendice sub lit. A. narrat, proximis annis judicatum à Medicis Bononiensibus posse, imò debere, secari Illustrissimam quamdam Matronam; quæ illis suum consensum dederat; at conspectis instrumentis futuræ carnificinæ ita cohorruisse, ac sibi met tantam vim intulisse, ut felicissimè via ordinaria foetum eadem ediderit. His exemplis eruditus P. Gobat in eadem Append. sub lit. D. adjungit aliud sibi narratum die 28. Septembris 1670. à Nobili Matro-

Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

na, cujus perspecta Virtus, sapientia, & prudentia plenam apud ipsum conciliabat fidem, videlicet eandem Dominam usam fuisse in difficilibus suis puerperii opera certæ obstetricis, quæ bis secuerat in duplici parturitione unam, eandemque matrem, ac felicissimè ex ejus utero eduxerat duas proles; cum ob corporis constitutionem eniti nequireret modo naturali ullum foetum; & nihilominus dicta mater bis secta vivebat, & iterum erat prægnans.

Quapropter his, & aliis experientis consideratis ipse quoque Zacchias d. lib. 9. tit. 2. Q. Unica nu. 28. concedit, sectionem Ventris viva Matre esse licitam, cum sequentibus tamen conditionibus, videlicet quòd Mater habeat vires subsistentes pro toleranda sectione; quòd non sit minor anno vigesimo, neque major quadragesimo; quòd sit animo intrepido, non exagitata mortis timore, neq; labefacta nimis partus laboribus. Item quòd ipsa Mater extra prægnantiam, & in prægnantia ab aliquo acuto, ac lethali morbo non fuerit conficta, quòd non sit valerudinaria, uterinis morbis obnoxia, aut rebellibus obstrictionibus, aut viscerum tumoribus decenta; alioquin eam sectioni subijcere, idem esset, ac eam data opera occidere. Tandem quòd Chirurgus sit valde doctus, & bene expertus, qui attentè consideret, an aliis remediis naturali via possit partus extrahi, non enim passim, & ex abrupto deveniendum est ad hanc tormentosam, & periculosam Matris sectionem; quæ non suffragantibus aliis mediis, pro ultimo, adhiberi potest, si foetus vivus in ventre certò agnoscat.

His itaque stantibus, pro resolutione nostri casus est distinguendum ita. Vel gravida Mulier, in octavo Mense, desperata à Medicis ipsius salute, agit animam ob difficultatem partus, & causâ puerperii, quia ob nimiam arctitudinem, vel alteram corporis constitutionem, via ordinaria non potest infantem edere; & in hoc casu tenetur pati ex charitate incisionem ventris, si spes concurret probabilis, judicio Medici circumspècti, & non præcipitis, tum suæ sanitatis recuperandæ, tum filii salutis spiritualis, mediante Baptismo, consequendæ. Possè autem utramque spem concurrere, docent exempla supra relata, & auctoritas dicti P. Raynaudi scriptoris literatissimi in cit. cap. 5. n. 19. & cap. 6. per totum; nec non Gobati ubi supra. At deficiente altera ex supradictis conditionibus non esse obligandam matrem ad ventrem sectioni exhibendum; imò si ex sectione ipsa mater esset incolumis evasura; proles autem extinguenda sine Baptismo, mater abstinere deberet ab eadem sectione ex charitate; cum speranda sit salus spiritualis ipsius prolis, vel ex sanitate Matris aliis remediis comparanda: vel ea decedente, ex sollicita ventris incisione, & infantis extractione, qui post mortem matris vivere solet per notabile tempus, præcipue si matris demortuæ statim ori imponatur aliquid, quod apertum seervet, & via respirationis infanti non obtutetur. Gobat d. tract. 2. num. 260. Quod etiam affirmat ipse Zacchias ubi supra num. 26.

Porro supradicta doctrina de non procuranda salute corporali ipsius matris cum detrimento salutis spiritualis ejusdem prolis ex præcepto charitatis probatur auctoritate Sancti Thomæ 2. 2. q. 26. art. 5. ad 5. Sylvestri Verb. Bellum. 2. q. 4. Navari in Man. cap. 24. num. 9. Bonac. de leg. disp. 3. q. 3. punct. 4. num. 4. Castropalai tract. 6. disp. 1. punct.

punct. 9. num. 5. & aliorum, quos citat Gobat in d. tract. 2. num. 224. ad firmandum, quod quisque tenetur cum periculo vite baptizare infantes Christianorum, constitutos in articulo mortis; & num. 231. ubi singulariter advertit; tempore Pestis Parochos teneri tam adultis, quam parvulis administrare hoc Sacramentum Baptismi; quod admittit etiam Joan. Sanci in select. disp. 10. num. 9. & nos latè infra de Extrema Unct. Decif. 72.

Tandem pro plena intelligentia hujus insignis Quæstionis notanda est distinctio, quam ponit idem Zacchias d. lib. 9. tit. 2. quæst. Unic. n. 35. nempe: vel est major spes vite Matris, & minor foetus? puta quia mater sit validis viribus, pulso forti, foetus autem nullum modum edat, & in imo ventris pondus faciat, & in hoc casu præferenda est vita matris, & abstinendum est à sectione ejus ventris. At si mater sit in extremis posita, cada-verosa facie, plusque tenui; foetus verò validus appareat, ac recalcitrando, & validè se movendo maximo vigore se munitum ostendat; utique de hujus salute est magis curandum, & ad sectionem deveniendum. Quod si tam Mater, quam foetus viribus polleant, sed alteruter servari non possit nisi cum alterius exitio, tunc vita Matris est præferenda; ut doctè probat Zacchias ibidem.

DECISIO XLII.

ARGUMENTUM.

Quæstio famosa disputatur, An infantes infidelium invititis Parentibus sint baptizandi? & foedere distinctionis juridicè resolvitur.

SUMMARIUM.

- 1 Infantes infidelium an invititis parentibus sint baptizandi?
- 2 Infidelium nomine quatuor genera veniunt personarum, & quæ?
- 3 Filii Apostatarum, Hæreticorum, & Schismaticorum possunt invititis eorum parentibus baptizari.
- 4 Infidelium Filii validè baptizantur.
- 5 Sed non licitè invititis eorum parentibus, juxta Thomistas.
- 6 At licitè secundum Scotistas.
- 7 Concordantia harum opinionum.
- 8 Mancipia infidelium possessa à Christianis possunt baptizari invititis parentibus.

QUoniam animarum Rectores, & alii studiosi Theologiæ Moralitatis tanto zelo aliquando fervent, ut omnes infideles cupiant promovere ad baptismum, nunc decidendum venit: An infantes infidelium invititis Parentibus sint baptizandi? Pro intelligentia præmittendum; infidelium nomine quatuor genera personarum venire. I. Schismaticos; & sunt illi, qui quidem credunt omnes articulos fidei, sed supremam Romani Pontificis auctoritatem non agnoscunt. Cap. Quia diligentia 5. ubi Gloss. in Verb. Schism. Cubi ait quod Schisma idem est, ac divisio, & scissura De elect. II. Hæreticos, nempe illos, qui unum vel plures articulos fidei non credunt cap. 1. & tot. tit. de Hæret. III. Apostatas, & tales sunt illi, qui Baptis-

num receperunt, sed postea totaliter fidem dereliquerunt, accedentes vel ad Mahometismum, vel ad Judaismum, vel ad Ethnicismum. Cap. Quidam de Apostatis. IV. Paganos, Saracenos, Mauros, Mahometanos, & Judæos, qui nunquam fidem susceperunt. cap. 1. & tot. tit. de Judæis, & Saracenis. Porro Quæsitum de infidelium filiis baptizandis non cadit super tria priorum genera infidelium, nempe Schismaticorum, Apostatarum, & Hæreticorum; quia cum hi ob baptismum susceptum subsint Ecclesiæ, eorum filii possunt baptizari ipsis parentibus invititis; prout eorum Parentes cogi possunt ad errores suos deferendos. Diana Coordin. tom. 3. tract. 1. resol. 6. à §. 2. Et Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 12. Similiter in præsentis quæsitio non est intelligendum de Baptismo valido filiorum infidelium, sed de Baptismo licito; quandoquidem extra omnem controversiam est, quod si de facto infantes infidelium baptizentur, Baptismus erit validus, adhibita materia, forma, & intentione Ministri; cum Ecclesiæ suppleat intentionem infantis. Quæstio igitur stat de posse licito; an scilicet liceat invititis parentibus infidelibus, Mahometanis nempe, Paganis, vel Judæis eorum filios baptizare.

Et negativè respondent omnes Thomistæ ob auctoritatem Angelici Doctoris, qui videtur negativam sententiam amplexus. 2. 2. q. 10. art. 2. & 3. part. quæst. 68. art. 10. & Quodlibet. 2. art. 7. ob sequentes rationes.

Prima est. Vel filii baptizandi, invititis eorum parentibus infidelibus; sunt eripiendi de eorum manibus; vel relinquendi sub eorum potestate. Si primum? fit injuria parentibus, eos spoliando jure, quod habent in filiis. Si secundum? fit injuria fidei, & committitur sacrilegium; nam infantes baptizati, si apud parentes relinquuntur educandi, fieri moraliter non potest, quin eorum erroribus imbuantur.

Secunda est. Non est licitum privare infideles bonis temporalibus, quæ possident. Ergo multò minùs filius suis, quos genuerunt.

Tertia est. Gratia non invertit ordinem naturæ; imò ipsa natura fundatur, cujus est idem Auctor Deus. Sed de jure naturæ est, ut filii educantur, & conserventur apud suos genitores, & parentes. Ergo ipsis invititis non poterunt baptizari.

Quarta est. Lex Evangelica est lex libertatis; ad quam suscipiendam infideles sunt hortandi, sed non compellendi. Idè in Concil. Tolet. 4. in can. 56. habetur: De Judæis autem præcipit sancta Synodus, nemini ad credendum vim inferri. Ergo.

Quinta est. Ad recipiendum Baptismum debet præcedere assensus ad articulos fidei: dixit enim Salvator: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. S. Marcus cap. ult. 16. Et in tantum baptizantur parvuli filii Christianorum, in quantum eorum parentes suppleant pro ipsis in assensu ad fidem. Sed in filiis infidelium nullus assensus ad articulos fidei haberi potest, non ab ipsis filiis, qui nondum supponuntur rationis compotes; non ab eorum parentibus, qui sunt fidei inimici: Ergo non erunt baptizandi. Et hanc sententiam tenet Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 25. sect. 3. & 4. Valquez in 3. part. disp. 155. & alii, quos allegat, & sequitur Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 30. Et Diana part. 7.